


ROYALS

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

A 20



A. 20.

7

ORATIO

DE AMICITIA
DAVIDIS ET IONATHAE,

EXERCITII GRATIA
COMPOSITA

à

M. SEBASTIANO
PICHSELIO. R.



VVITEBERGAE

Excudebat Laurentius Schuuenck.

Anno 1569.



INGENVIS, DO-
CTIS, BONÆQUE SPEI
ADOLESCENTIBVS: LEONHAR-
DO, SEBASTIANO, STEPHANO,
VVOLFIIS, fratribus Schleusingensibus, fi-
lijs ornatissimi & prudentissimi Viri, D. EBER-
HARDI VVOLFII, Praefecti Schleusingen-
gensis, & Illustrissimorum Principum Henne-
bergensium Consiliarij, amicis suis familia-
riter notis: SEBASTIANVS
PICHSELIVS

S. D.



V O D V O B I S
dedico hasce pagellas,
adolescentes optimi,
spero, vos non egrè
laturos fore, quamuis
nullas facti mei legitimas causas ha-
berem. Videor autem me non prorsus
destitui causis, quibus hoc tueri,
& vobis comprobare possim. Cum
enim ad tempus conuictores, & ὁμοῦ
A a ἴππε

Ἐὰν ποτε in hac Academia fuerimus,
opinor, tantum mihi vobiscum inter=
cessisse familiaritatis, vt æquo iure
vobis his chartis meis, quamuis te=
nuibus, oneri magis quàm honori
esse potuerim. Nec parentem ve=
strum humanissimum virum; D.
Eberhardum Wolffium, Consilia=
rium Illustrissimorum Principum
Hennenbergensium &c. offensum
iri arbitror, quod vestrum nomen
Musis meis aridioribus præpono.
Cupio enim hac ratione, honesta sa=
nè, vt ego opinor, parenti vestro opti=
mo viro innotescere, vt hac velut
occasione, eò audentius ipsum illum
aliquando Musis meis salutare &
adoriri liceat. Patiamini quæso hoc
me pacto fauorem clarorum virorum
ambire, quorum autoritate Musas
honestiores, hoc seculo alioqui satis
spretas

spretas foueri conuenit. Quin &
præter hanc alia dedicationis huius
causa est. Videtur enim oratio hæc
ad vos commodè transferri posse,
Nam cum fratres, & quidem vteri-
ni sitis, nec quicquam magis fratres,
quam concordia, hoc est, amicitia,
deceat, par est vos inter uos amorem
exercere fraternum, & concordiam
alere, augere & conseruare. De his
autem & alijs rebus bonis & utili-
bus, cum vos mea, qualiscunq; est,
monere possit oratio, nihil cause vi-
deo, cur illa vobis non dedicari possit
aut debeat. Hoc ergò quicquid est
muneris, quod è paupere Gazophyla-
cio promitur, vos æqua fronte susci-
pite, & æqui boniq; consulite.

Bene Valete. Vitebergæ 6.

Calend: Nouembris.

Anno 69.

A 3

O R A.

ORATIO DE AMICITIA DAVIDIS ET IO.

NATHAN.



Um initio de priuata do-
ctrinae Physicae repetitio-
ne cogitarem, haud sanè
ignorabam, onus me uiris
bus meis longè impar susci-
pere: Et quanquam labor
hic tam ijs qui perferunt, quàm illis quoq; qui pera-
ferentibus adsunt utilissimus, & maxime neces-
sarius est, tamen eundem supra uires meas posita
cui fuisse sponte sensi. Quamuis. n. omnes Philoso-
phiae partes immensum quiddam continent, ta-
men nullius doctrinae maior est uel copia, uel uti-
litas, quàm eius quae naturas rerum tum maxi-
marum tum occultissimarum considerat & cons-
templatur. Nec de integra & perfecta doctri-
nae Physicae cognitione nunc uerba facio, quae
Mathemata complectitur, artem Medicam, Mus-
sicam, & historiam de metallis, plantis & ani-
mantibus: Sed tantum de initijs, quae sunt illius
amplissimae doctrinae parua quaedam semina, &
(ut ita dicam) exiguum uestibulum. Haec ipsa dextrè
& ses

Et feliciter proponere arduum profecto et difficile opus est, cui si me parem existimem, uidear, uelut Athlas cœlum humeris sustinere. Huius meæ tenuitatis optimè quidem mihi conscius fui, cum laborem hunc subeundum suscepi. Quare tam publicè quàm priuatim, et quidem solennitèr, conceptisq; uerbis, protestatus sum, me non fiducia proprii ingenij, et eruditionis, et uirium propriarum, in hanc arenam descendere, sed primum omnium auxilio diuino opus habere, tum præceptorum quoq; meorum, quos tum nominatim dixi, me laboraturum manibus, alis illorum uolaturum, uoce et gutture locuturum, et ut summam dicam, plumis illorum me totum compturum ingenuè fassus sum. Quod ut spero, in qualicunq; priuata enarratione primi libri Physices adeo præstitum est, ut uerbum à me penè nullum prolatum sit, quod non ex ore Præceptorum meorum exceperim: idq; eò libentius feci, cū in hac tenuitate mea δὲ ὑπεροπὴ πλῆθὺς sequi, et sine cortice natære nondum concessum sit.

Hinc futurum sperabam, ut tantorum uiro-
rum fauore septus, quorum autoritatem non
studiosis modò bonarum artium, sed etiam do-
ctissimis uiris iure opponi posse confidebam, tu-
tior essem aduersus nasutorum iniquiora iudicia.
Verum quid sit? Idem mihi accidit quod multis
alijs

alijs me longè præstantioribus. In hac enim ingeniorum & morum diuersitate, cum impossibile sit placuisse omnibus, multos industrie meæ me censors habuisse necesse est. Quorum ego si diuersissimis iudicijs satisfacere uellem, non minus rem ridiculam facerem, quàm ille, qui, cum cibum conuictoribus suis omnibus arridentem parare cuperet, quæsitis singulis quo quisq; condimento delectaretur, & singuli sibi singulos cibos poscerent palato suo conuenientes, commiscuit omnes, sicq; cum omnibus gratificari uellet, omnium stomachum offendit. Omisissis ergo illis, quibus uel nasus acutior, uel palatum subtilius, uel stomachus aridior est, quàm ut mea conditura satis irrigari possit, ad eos transeamus, quibus non exactis epulis & sumptuosioribus, sed popularibus fames sedari potest. Illis candorem afferentibus, bonis uiris dignum, si aliqua saltem ratione satisfecerimus, contenti sumus, & sufficit nobis, si nostris Spartanis placuerimus, sancta dicendo & sancta faciendo, ut Pausanias Rex dixisse fertur.

Quare cum ex bonorum & rectè sentientium potius iudicio, quàm numero applausorum pendere debeamus, contenti sumus illorum fauore, qui hætenus nobis prælegentibus suam præstitere præsentiam, & opellam nostram boni consulere, Nec enim quot sint auditores nostri.

nostri, sed quales sint ponderare soleo. Horum ego non solum diligentiam laudo, & candorem probo, quo nobiscum contenti fuere, & favore suo copiam crescendi nouarum, hoc est, occasi-
nem dedere, ad alia nobis accedendi, sed & ijs-
dem quantas possum gratias ago: Primo, quod moderatè de nobis iudicauerunt: Secundò, quod pullulantes nostras Musas non fastidiosè asper-
nati sunt: Tertiò quod erratis humano more ad-
missis benignè ueniam dedere,

Cum ergo ita confirmatus sim in studio meo honestissimo, ut ab illo nulla ratione dimoueri possim, missa faciam ista, & ad id quod propo-
situm est, orationem conuertam: & quod more publico receptum est, præfatiuncula quadam uia-
am mihi & aditum patefaciam & auditorum nostrorum, eorum inquam, quibus cum candore & gratitudine nostra placebit opera, animos demulcebo & præparabo, quantum fieri poterit, ut ad sequentes prælectiones minus fastidiosè accessuri sint. Elegi autem materiam præfationi meæ hanc, cuius mentio fit in libro primo Samuelis cap. 18. Vbi amicitia describitur undè cum causis & circumstantijs omnibus, quæ inter exempla memorabilia, ueræ & sinceræ amicitie refertur, quarum in omni historia paucissimæ similes recensentur, nec consuetudine quadam, sed ueræ uirtutis conspectu exorta est, inter du-
os uiros

o s uiros præstantissimos, Ionathau nempe fili
Saulis, & Dauidem filium Isai, successorem regis
Saulis, Hanc per causas & circumstantias sua
as deducam, ut exemplum proponatur iunioribus
ueræ & constantis amicitie, in quod intuen-
tes maiori fide amicitias colant, & in eligendis
amicis cautionem eam præsent, quam hæc res
desiderat. Dignum iudicauit hoc exordium, quod
prælectionem meam exornaret, quamuis nonnul-
lis uideri possit materia hæc à studio Physico ali-
enior. Cum autem in bonos facile sit imperium,
& bonorum hoc loco tantum habenda sit ratio,
materiam hanc ideo me prælectioni meæ præpo-
nere dico, tum quia studiosis multiplices commo-
nes factioes proponit, tum quia in hac commemora-
tione aliquarum rerum Physicarum facienda est
mentio.

Sed ut exemplar ueræ amicitie ante oculos
ponam, uerba textus sacri ascribam, ut ex his
causas & circumstantias huius non simulati, sed
ueri & ardentis amoris indagemus. Sic autem
scribitur: Et cum cessasset loqui Dauid ad Saul-
lem, copulatum est cor Ionathæ, cum corde Da-
uidis, & Ionathan cepit eum amare tanquam
proprium cor. Item: Et Ionathan ac Dauid
fecere fœdus inter se. Nam Ionathan diligebat
eum tanquam proprium cor. Et Ionathan exiit
tunicam suam, qua indutus erat, & dedit eam
Dauidi, præterea pallium, gladium, arcum &
cingula

cingulum suum. Recensentur aliquot exem-
pla sinceræ atq; ueræ amicitie extra Ecclesiam,
ut Damon & Pythias, Pylades & Orestes, Ni-
sus & Euryalus, Epaminondas & Pelopidas,
Scipio & Lælius, Cicero & Pomponius Atti-
cus, Augustus & Agrippa. Sed nullum exem-
plum cum amicitia Ionathan & Dauidis compa-
rari potest, cuius hoc loco hypotyposis pro-
ponitur. Non enim tantum animis & uolun-
tatibus coniuncti sunt, sed etiam unum sunt in
Deo. Primum enim & præcipuum uinculum
amicitiæ & concordie est consensus de uera do-
ctrina, sicut Dominus inquit: Sint unum in no-
bis. Vbi autem in doctrina consensus est, ibi etiam
ungit corda Filius Dei summus Sacerdos Spiritu
suo sancto, Ac tales copulati summo sacerdoti
Christo sunt iam agglutinati ad unū caput Deum,
qui habitat in membris Christi, & sua luce, sa-
pientia, iusticia & leticia ea complet. Sed hæc
sunt per summum Sacerdotem Filium Dei, per
quem uox Euangelij ex sinu æterni Patris prola-
ta est, & qui tollit peccata nostra, & lucem uer-
itatis, & dilectionem in credentibus inchoat.
Sed uberiolem collationem amicitiarum Ethni-
carum cum hac nostra, paulò post per circum-
stantias instituem.

Nunc ad causas amicitie huius, ut uocant, ir-
ritatrices & προνταρχίας accedam. Post-
quam

quam adiuuante Deo imbellis tyro David ingena-
tem Cyclopem Goliath funda & baculo deuice-
rat, & uictoriam admirabilem & gloriosam
Israelitis pepererat, & nomen Dei à blasphemia
Palestinorum uindicauerat, accessit David ad
Regem Saul, nunciaturus ei rem bene & felicia-
ter gestam. Cum quo dum loquitur, adest Iona-
than, & ob inaudatum facinus obstupefactus,
& heroicum animum adolescentis, heros ipse
considerans, & suauiloquentiam quoq; eius, qui
dulcis in Psalmis Israel futurus erat, suspiciens,
ingentes amoris sinceri flammæ concepit. Est
enim natura similiarum auidissima, & nostram
naturam, nostrosq; affectus in alijs quoq; amare
solemus. Sic Alexander Magnus piratam in-
columem dimisit, qui interrogatus, quare fre-
tus maria infestare auderet, intrepidè respondit:
Ego, quia exigua nauicula prædas ago, pirata
uocor, Tu quia idem ingente classe facis, Rex
appellaris. Constantiam animi excelsam, & re-
gnandi libidinem, non facinus latrociniandi com-
probans. Idem cum peritum quendam ex In-
dis sagittarium cœpisset, qui per anulum sa-
gittam mittere diceretur, uoluit ut artis suæ
specimen ederet. Recusantem autem iratus occidi
iussit. Verum cum iam duceretur ad mortem,
dixit sagittarius: se multis iam annis non exer-
cuisse artem suam, eòq; timuisse ne erraret. Id
ubi delatum est ad Regem, quòd ignominie causa
sa recusa

sa recusasset, admiratus ingenium ambitiosum,
dimisit illum donatum, eò quod mortem oppete-
re maluisset, quàm fama sua uideri indignus. Hic
Alexander qui semper ambitiosus & gloriæ ap-
petens fuit, similem affectum in sagittario pro-
bavit. Sic quamuis uirtutis hoc proprium est,
ut splendore suo multos in amorem sui alliciat,
eos tamen præcipue sibi glutinat, qui & ipsi ue-
ra uirtute præditi sunt. Hinc cum præstan-
tissimus heros Ionathas heroicam adolescentis
indolem intueretur, unicè eam propter naturæ
cognitionem adamare cepit.

Hocq; uerum amicitie fundamentum est, nula
la ui tempestatũ & fluctuum uiolabile, quod uir-
tutis basi innititur, hocq; unicum, solidum &
firmum est, quodq; solum à uera ratione profi-
ciscitur, & in omnem ætatem durat. Ania-
morum enim & morum, & temperamentorum
similitudo, uera uirtute stabilita, ea est, quæ ue-
ram & sinceram amicitiam gignere potest. Re-
liquæ amicitie species omnes, quæ uel ex con-
suetudine aliqua profluunt, uel suauitatis ergo
sanciantur, uel deniq; utilitatem, finem propo-
situm habent, ut fundamento nituntur uago &
instabili, ita minus diuturnæ sunt. Ut enim edi-
ficorum fundamenta firmissima esse debent, ita
in duratione amicitie multum refert, quo fun-
damens

da mento incumbat. Ut itaq; ea amicitia, quæ
uirtutis fulcro sustentatur, tardius exoritur
& diuturnior est, ita ceteræ species amicitie
quæ uel consuetudine firmatæ sunt, uel suauitas
tem conuictus & utilitatem finem habent, sicut
citò gignuntur, ita leui iterum momento extin-
guuntur. Sola autem uera uirtus æterna est,
& æternum ueræ constantiq; amicitie fulcrum
exhibet. Cetera ut ipsa instabilia sunt, ita sta-
bilem amicitiam iungere non possunt. Dempta
enim conuictus suauitate, & utilitatibus ablati-
s, propter quas amicitia extitit, omnis confestim,
quæ prius fuit, abolebitur amicitia, ut uenustè
disputat Aristoteles in 8. Ethicorum Nicomas-
chicorum. Quare notandum est, quod de eius-
modi leuibus & fugacibus amicitijs Cicero in
1. de natura Deorum scripsit, inquit: Charum
ipsum uerbum est amoris, ex quo amicitie no-
men est dictum, quàm si ad fructum nostrum re-
feremus, non ad illius commodum quem diligi-
mus, non erit ista amicitia, sed mercatura quæ-
dam utilitatum suarum. Prata & arua, & pe-
cudum greges diliguntur isto modo, quod fru-
ctus ex eis capiuntur, hominum amicitia, & cha-
ritas gratuita est.

Sciamus ergo ueram amicitie huius causam
fuisse, solidam & ueram uirtutem, quam tamen
ipsam uerbum Dei & Spiritus sanctus gubernat
uit,

uit, motusq; ardoris huius flagrantiores effecit,
hacq; in parte ab amoribus Ethnicorum supra
recitatis distinxit: Ergo Spiritus sanctus per
uerbum efficax in cordibus horum piorum he-
roum, efficientium causarum principalium mu-
nere fungitur, qui hanc occasionem ἔφρα-
μίηp amoris futuro obiecit, pugnam Davidis mi-
rabilem, ἔ tyrocinium stupendum.

Sed uideamus quæso, quibus uerbis forma huius
ius amoris describatur: Copulatum est cor Io-
nathan (textus ait) cum corde Davidis, ἔ Io-
nathan cœpit eum amare tanquam proprium
cor, ἔ fecerunt fœdus inter se. Quanquam
hoc loco expressa mentio mutui amoris in Davi-
de non fiat, nec describatur retaliatio flamma-
rum ardentium in pectore pij adolescentis, ta-
men non est consentaneum tam pium pectus, non
retribuuisse uices amoris mutui, quod cæteris ta-
men omnibus amicis honestissima semper tribue-
bat. Vt enim prouerbio Græco dicitur: ἔ ἔ
ἔνευ τολμῆς ἔσι ἰάλεμ, ita reuera funebris
cantus est, miserè hoc, unde haud redameris, a-
mare. Quid enim tristius cogitari potest, quàm
perdito amore teneri rei alicuius, quæ tamen te
fugiat, horreat, ἔ uelut nauseam abijciat? Quæ
re fœderis meminit, sacra Scriptura, ut significetur,
non alterius tantum pectus incredibili amo-
re arsisse, sed mutuum extitisse ardorem. Fœdus
enim

enim à fide dicitur, qua fides utrinq; datur auxilij & operarum mutuarum, quod sine amore mutuo existere non potest.

Et quanto amoris incendio pium Davidis pectus erga hunc Ionathan exarserit, quantasq; in amore uices reddiderit, testatur lugubris illa Threnodia, plena ardentissimorum affectuum, qua mortem generosi huius bellatoris immaturam & indignam, amaris lachrymis prosequitur. Sic enim inter cætera inquit: Magno in dolore sum propter te mi frater Ionathan, suaviter in te acquievi, amor quo me complexus es, fuit mihi preciosior amore mulierum. Hic apertè testatur David, suum erga Ionathan amorem, fuisse non minus ardentem, sincerum & suauem, quam est amor conjugalis, qui debet esse ardens sine simulatione & coactione, sincerus sine suspicionibus & pleonexia, deniq; suavis sine morositate & fastidio. Hinc quale foedus inter illos heroasictū sit, & quale incendium mutuū fuerit, cogitanti facile patet. Copulata sunt duo corda sic, ut uterq; alterius suum arbitratu sit. Nam Ionathan, intellige & conuersim, cepit eum amare tanquam proprium cor.

Hoc loco quæri solet ab eruditis, quid sit ille amor, qui σοφῶν φιλίᾳ appellatur, & quo coniuges non ἀσσυγοί inter se mutuo ardentè diligunt,

diligunt, quo parentes liberos suos, & liberi
parentes, & reliqui cognati cognatos reliquos
amant, fouent & tuentur. Esse talem amorem
in singulorum pectoribus, nisi monstroſi ſint,
naturaliter inſitum, omnes ſentimus, qualis ſit,
ſatis dicere non poſſumus. Hoc tamen uniu-
erſum ſcimus, eſſe illum incendium quoddam mi-
ſericordicum, in intimis thalamis cordium humano-
rum diuinitus ſuſcitatum, conglutinans miro af-
fectu inter ſe homines, ut ſit teſtimonium arden-
tis amoris æterni Patris erga æternum Filium
ſuum, qui amor ſubſtantialis Spiritus ſanctus di-
citur, & erga nos miſeros homines, quos ſibi
uno eodemq; ſpiritu copulat. Hac qualicunq;
huius rei explicatione, à poſteriori ſumpta, con-
tenti ſimus.

Tale ergo incendium exuſcitatum in horum
cordibus, utriusq; colligauit animos, ſtudia &
uoluntates, ut idem nolle & idem uelle fuerit
utriusq;. Et ut Symbolum eſſet quoddam huius
amoris, quo uterq; admoneretur uelut externo
ſigno, Ionathan exiit tunicam ſuam, qua indu-
tus erat, & dedit eam Dauidi, præterea pallium,
gladium, arcum & cingulum ſuum. Hoc ritu tan-
quam pignore dato, primum fœdus iſtum eſſe te-
ſtabatur, poſtea copulationem animorum, uolun-
tatum & ſtudiorum factam eſſe ſignificabat, &
communicationem operarum, officiorum, conſi-
liorum

liorum & rerum hoc signo comprehensam uo-
lebat. Ut enim tunicam suam preciosam &
pallium Regium exuit, nec gladio & arcui de-
fensori corporis parcat, aut cingulo suo proprio,
sed omnia liberaliter communicat amico suo no-
uo rerumq; indigo, ita ipso facto testatur, nul-
lam tam preciosam rem futuram, nullum tam
arduum officium, nullam tam difficilem operam,
quam amici causa subire nolit, si salutem amico
& incolumitatem, uel consilio, uel opera, uel re
deniq; comparare posset. Atq; hæc omnia
ipso facto eum præstitisse paulò post audiemus.

Conferamus nunc, si placet, ad formam huius
ius amicitiae, quam hætenus descripsimus, for-
mas amicitiarum reliquarum, quarum extra Ec-
clesiam fit mentio. Legimus in plerisq; fuisse
idem uelle & idem nolle, imò & mortem alter
pro altero subire non recusauit. Hæc tamen
omnis uirtus, quantacunq; ea fuit, à rationis pro-
fecta est iudicio, & finem rationi peruium ha-
buit. At nostra hæc, quamuis sine ratione mi-
nimè fuit, tamen autorem moderatoremq; DE-
VM habuit, & in eum finem directa fuit, ut
Deus honore afficeretur, gloria Dei per hos
unanimes propagaretur, & per & propter De-
um hæc uniuersa res fieret conspicua.

Satis de forma amicitiae huius diuinæ & ad-
mirandæ diximus, ad materiam eiusdem, si plas-
cet,

cet, transeamus. Materiam autem non illam
quam in qua nuncupamus, tractabimus, de qua
satis multa dixisse uideor, quamuis plura dici pos-
se intelligo. Mens enim & uoluntas hominis est,
in qua sita est amicitia. Sed de ea differemus,
quam circa quam in scholis usitate uocitant, hoc
est, deducemus hanc amicitiam in actum & ef-
fectum, & qualis in aperto campo fuerit, osten-
demus. Cum Saul inuidiae stimulis ureretur, &
egre ferret pluris fieri Dauidem, quamuis iunio-
rem, ob uirtutem, & crescentem eius indies glo-
riam suspectam haberet, quò maturè ijs malis
præueniret, quæ euentura certis signis collige-
bat, decernit è medio tollendum esse æmulum,
qui gloria & autoritate diuinitus concessa, &
rebus quoq; prosperè gestis antecelleret. Quare
clam mandata ministris suis omnibus dat, ut Da-
uidem interficiant. Huius consilij conscius Iona-
than, non modo non deserit amicum, destitutum
aule beneuolentia, & procerum fauoribus, &
multis inuolutum calamitatibus, sed & consilia
eidem detegit, & causam eius apud parentem
Tyrannum suscepit, & uitam ei suo patrocinio
aliquantisper defendit, nouamq; aule gratiam
comparauit.

Obseruetur exemplum hoc fidelis amici,
qui non deserit amicum uersantem in periculo.
Non enim facile dijudicatur amor uerus & fi-

B 2

ctus

Aut, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut
quasi aurum igne, sic benevolentia fidelis peris-
culo aliquo perspici possit. Nam ut hirundines
æstiuo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt:
Ita falsi amici sereno uitæ tempore præsto sunt,
simul atq; fortunæ hyemem uiderint, deuolant omnes.
Est igitur calamitas certissima regula, discernens ueros atq; sinceros amicos,
à fucatis & simulatis, ut Euripides dixit:
Ἐλεγχος ἀψυδ᾽ ἐσαῖος τῆς Πείρας ἢ δυσυχία.
Quare non deserit in calamitate constitutum amicum,
nec pressum palatinis iniurijs magis premit,
nec addit afflictionē afflicto, nec Sycophantæ
aulicos imitatur, qui iniustis dominorum cupiditatibus
adulantur, & quorum ueneno accensæ si principes
maiores odij flammæ concipiunt, fiuntq; cruenti
& furenter crudeles, sed monet amicum fideliter,
consilioq; suo sapienter iuuat. Obtemperat etiam præcepto
Salomonis Prouerbiorum 24. Libera eos qui trahuntur ad mortem,
& qui impelluntur ad necem. Aduersatur enim patri Sauli,
& non solum testimonio, sed etiam alijs officijs sine seditione defendit Dauidem.
Hoc primum amicitie ueræ tyrocinium esto, in quo solo laudando Periclea oratione
uel Ciceroniana opus esse uideo, non tam arida & exili,
qualis hæc nostra est.

Sed age grauiora audiamus: Magna profecto uirtus est,
& magno uiro maximè digna, non deserere

deserere amicum in calamitate, egentem auxilio,
& confugientem ad amici benevolentiam & fra-
dem. Contra desertio amici propter calamita-
tem, in qua nulla culpa hæret, iniusta & sceles-
rata est. οὐ γὰρ ἀίχρον, Euripides inquit:
ἀνδρῶν οἱ σὺν ἀλλήλων κακὰ, hoc est, Non est
turpe, hominibus affici mutuis miserijs. Huius
honestissimæ sententiæ, quæ ex communi homi-
num foedere sumpta est, exemplum maximè illu-
stre in Ionathan conspicitur. Is non duxit sibi
turpè, affici cura miseriarum Davidis, sed tan-
quam membro eiusdem corporis, uidelicet ueræ
Ecclesiæ, omnia præstitit officia dilectionis.

Quare cum David iterum fugeret conspectum
Saulis, & insidias Regias, & ob id cum Iona-
than expostularet, non modo consolatur eum,
sed omnia officia humanitatis promittit, & me-
dia quoq; proponit, quibus consilia Regis ei tuto
significare possit. Pulchrum enim stratagemam
proponit per sagittæ iactum, quam uel ante uel
post puerum iacere si clamauerit, uel incolumi-
tatem ei uel interitum significaret, puero id is-
psum qui telum quærebat, ne suspicante quidem.
Deinde denuò causam Davidis agit apud Regem,
& officiosa occultatione innocentem excusat.
Cumq; durum à parente Tyranno responsum
accepisset, & proditoris & obliuionis storgas-
rum, & neglectionis propriæ famæ & dignitas
accusaretur, graui testimonio Davidem & se-

contra parentem Regem tutatus est. Vnde offensus Rex filium proprium, patronum innocentis Davidis, transfigere hasta uoluit. Ille autem elidens ictum euasit, & proposito stratagemate Dauidi in agris latenti omnia patefecit, consilioq; iuuat, & tutas ab insidijs latebras monstrauit.

Pulchrum mehercule exemplum dicti Herodoti, qui ait: Preciosissimus thesaurus est, & omnibus opibus antecellit amicus prudens & beneuolus. Merito requirit in amico non modo beneuolentiam, sed etiam prudentiam. Nihil enim refert, ut Græci dicunt, sis ne plane inimicus, an importunè beneuolus. Talis amicus Davidis est Ionathan, qui sic currit, ut metam prospiciat, & media eligat, ad eam metam recta ducentia. Cum enim in amicitia hanc metam intueatur, ut Dauid sit florens & incolumis, eligit media ad hunc finem, iuuat Dauidem consilio & consolatione, monet & confirmat eum, suscipit eius patrociniū in aula, imo & iniurias à patre accipit, ut amicum seruet. O fortunatos, quibus talis amicus contingit. Sed in hac morum peruersitate amici Ionathæ similes magis optari quàm sperari possunt. Nunc enim pauci in rebus aduersis fideles sunt, qui uelint esse socij periculorum. Simus ergo contenti hoc Catone, ut dicere solebat Augustus, cum hortaretur ferenda esse presentia.

sentia, qualiacunq; sint, & uerae amicitiae igne
ri, umbra & imagine gaudeamus.

Præterea & hoc Senecæ dictum memoria di-
gnum est, qui ait: Fides sanctissimum humani pe-
ctoris bonum. Complectitur autem fidei appella-
tione, non modo dictorum conuentorumq; con-
stantiam & ueritatem, sed etiam taciturnitas
tem, quæ opponitur perfidie patefacienti arca-
na. Ut enim uirtus est præstare silentia rebus,
sic contra grauis est, culpa, tacenda loqui. Sati-
us autem est tacere, quàm aliorum taciturnitas
tem experiri. Quod igitur exemplum comme-
morari potest illustrius fidei & taciturnitatis,
quàm Ionathan. Is enim promissa non solum con-
stanter præstat, sed etiam cum nemine sua con-
silia communicat. Quare non solum in amicitia
beneuolus est, sed etiam prudens iuxta Herodoti
præceptum.

Conferamus, si libet, cum hoc illustri facto,
ea quæ extra Ecclesiam legimus, & ostendamus
quanto interuallo hæc à nostris superentur. Zoa-
pyrus in gratiam Darij regis, ut urbe Babylonis
orum potiretur sine sumptibus, sibi ipsi nares &
aures præcidit, & transfuga factus, sibi id à Re-
ge factum simulauit. Hac arte urbem Darij
subegit. Vnde tanti fecit Rex eius amicitiam,
ut se tot Zopyros habere exoptaret, quod ma-

lum punicum grana contineret. Hoc tamen
uniuersum, in quem alium finem factum est, quàm
ut Rex alioqui ditissimus accessione noui regni
amplius ditaretur.

Eodem recidit, quod de Lucilio Bruti familia
ari narrat in Bruto Plutarchus & Brasonius.
Is cum Barbaros in Brutum obnixè ruentes cera
neret, Brutum se esse assimulauit, captusq; & ad
Antonium deductus, ad eundem ait: M. Brutum,
ô Antoni, nemo capit, absit ut ipsum uiuum quis
quam capiat hostis. Hoc ut ab uno semel fieri
potuisse non negabimus, ita idem citra pericula
lum alterius fuit, adeo, ut constantiam hominis
intuens Antonius, non uitam modo donauerit,
sed & amici loco habuerit. Sic enim ad milites
quos ob errorem admissum consternatos uidea
bat, dixisse fertur Antonius: Bono animo estote,
meliozem .n. quàm arbitrabamini thesaurum ata
tulistis. Cum enim hostem uos adducturos pu
taretis, amicum adduxistis longè fidelissimum,
Vino equidem Bruto, nescio per Deos, ad quid
uterer, Utinam amicis potius talibus quàm ho
stibus meis potiar. En autem quid uirtus fidesq;
etiam apud hostem ualeat.

Eiusdem generis & hoc est, uel inter præcia
pua numerandum, quæ Ethnicorum scripta com
memorant, quod de Dionysio seniore referunt,
qui admiratus egregiam fidem Damonis & Py
thie: Rogo, inquit, ut me quoq; in uestram amia
citis

citiam recipiatis. Alteri Tyrannus destinabat
diem necis, cumq; is pauculos dies petiisset, res-
rum domesticarum ordinandarum gratia, hac
lege impetrauit, ut alter uas amici fieret, ea con-
ditione, ut si ille non rediisset ad diem præscri-
ptum, hic plecteretur. Rediit autem ad diem,
mori malens, quàm amicum fallere. Ita serua-
tus est uterq;, ac Regis amicitia decoratus. Sed
& hoc ipsum quid ad illud nostrorū amicorum
exemplum? Ut. n. de efficientib. & finalib. causis,
quæ apertissima actionū discrimina faciunt, & in
hoc exemplo manifestè nostra præferūt, nihil dis-
cam: Ipsā formā quæso intueamur, quæ in utroq;
magis eadem apparet. Facilius equidem est Regis
in se deriuare irā amici causa, quàm parentis. Fa-
cilius tam egregio facinore ex Tyranno amicum
feceris, & uitam tibi incolumem effeceris, quàm
ab alienatum parentem reconciliaueris. At hic
noster non regem, sed parentem læsit ignobilis
uiri causa, sibiq; nullo uinculo iuncti. Nec à
Rege solum sibi periculum accersuit, sed à pro-
prio genitore, quorum ira tantò uehementior
esse solet, si naturales storgæ extinguantur.
quantò amor prior storgarum erat ardentior.
Vnde & parentis proprij manibus confossus pe-
riisset, nisi cauisset sibi, & posthac ipsum minus
commodo parente usum esse credibile est. Sed de
sino conferre hæc amplius, cum nemo sit tam
iniquus

iniquus rerum estimator, qui non hæc nostra illis longè præferenda multis de causis iudicet. Et hæc de materia huius amicitie dicta sufficiant.

Fines collecturo amicitie huius, hic inter cæteros præcipuus occurrit, quod hoc exemplo Deus testimonium ediderit indubitatum sue providentie. Cum enim Dauidi impenderet aulica persecutio, dedit ei Deus amicum, fide & autoritate præstantem, qui multa consilia in perniciem Dauidis parata impediuit, & patrocinium amici suscepit. Quod si ipsas personas intuearis, utriq; sanè finis esse potuit, ipsum uirtutis decus per Deum partum, & propter Deum custoditum, & alterius partis incolumitas. Hæc itaq; de causis dicta sint.

Dies autem me deficiet, si omnes huius materie circumstantias colligere uellem, de quibus alio fortè tempore differendi locus erit. Quare ad finem orationis contendo, ut una cum finibus huius amicitie, finem quoq; oratio mea habeat. Sed prius ad nos ipsos redeamus, & nobis historiam hanc accommodemus.

Amicitie talis natura est, ut sine ea hæc uita consistere non possit. Huius tamen gradus diversi sunt. Est amor alius mariti & coniugis, alius parentum & liberorum, alius fratrum & sororum

fororum. Est & amicitiae species alia inter mini-
stros Euangelij & auditores uerbi, inter prae-
ceptores & discipulos, inter magistratus & sub-
ditos, Et hic quidem omnis in collatione supe-
riorum erga inferiores & econtra. In his haec re-
gula obseruanda est, ut singuli singulis conueni-
entia praebent. Superiores quidem inferiori-
bus, autoritatem, imperium & leges amoris uin-
culo copulatas, inferiores superioribus obedi-
entiam, gratitudinem, reuerentiam, simili amore
coadunata. Est & alia amicitiae species, aequa-
lium inter se, de quibus haec regula datur, ut ami-
ci amicis honestissima tribuant. Nos ergo omnes
& singuli, auditores optimi, in quo amicorum
genere, & inter nos, & cum alijs omnibus sta-
mus, circumspiciamus, & historiam hanc, & le-
ges illas amicitiae recitatas nobis appli-
cemus, ut fructum huius historiae
uberem capiamus.

DIXI.

Studiose.



STVDIOSIS DO- CTRINÆ PHYSICÆ.

S. P. R. S.

Nec primus sum, nec postremus, ut arbitror,
eorum qui sponte hanc prouinciam repe-
tendi cum alijs bonas artes susceperunt. Quod
quia tam in eorum qui laborant, quam qui labo-
ribus intersunt utilitatem fit, à nemine iure
culpari potest. Quare ueniam mihi dari peto,
quod ad illas materias enarrandas accedo, quibus
declarandis nec ingenio nec eruditione fors-
te par fuero. Etenim meam in his & ceteris
quoq; rebus tenuitatem lubens fatebor. Nitorq;
in his, ut & ceteris meæ farinae homines, opera
studioq; præceptorum meorum, quorum indus-
tria interea utimur, donec ipsi sine cortice nas-
tare possimus: Ingenui autem animi signum est,
candidè fateri per quos profeceris, quorumq;
opera in enarratione utaris. Nec furtum hoc
iudicari potest, sed paterna hæreditas, ut uenus-
tissime Tertullianus alicubi inquit: si quis quid à
præceptorib. suis mutuatur, paternam id hæredia-
tatem, non furtum iudicari debere. Nec imitemur
eos, qui suis præceptoribus eruditione autoris-
tateq; antecellere uolunt, sed præmansum nobis
cibum grati accipiamus, quodq; possumus & pos-
se debemus, citra furti suspicionem, ori nostro
admonere

admoueamus, & in succum nostrum conuertamus, ceu filij paternam hereditatem in suos iam usus accomodant. Finita igitur per repetitionem paucarum septimanarum prælectione moralis philosophiæ, ad alteram partem nos conuertemus, & libellum Domini præceptoris continentem initia physices enarrabimus, quantum poterimus. Et spero me primum librum adhuc absoluturum ante proximum Michaelis diem, reliquos uerò uel ad Hilariorum dies, uel non longe post, si Deus concesserit. Hodie ergo hora secunda repetitionem hanc inchoabimus, & pauca præfati, cum auditoribus de modo prælegendi, & de hora commoda deliberabimus. Valet.

PHILO



PHILOSOPHIÆ STVDIOSIS SALVTEM.

S. P. R.

Dve res sunt in animo hominis precipue,
quæ & præclare sunt, & omnium homi-
num assidua consideratione dignæ sunt. Quibus
in rebus qui exercitatus fuit, ut olim σοφία & ita
Pythagoræ temporibus & post, philosophus,
modestiori uocabulo, appellatus est. Sunt au-
tem hæ: Intellectus nempe humanus, & uolun-
tas. Nec nunc de uiribus ipsorum & effectio-
nibus differimus, quod ad doctrinam de anima
pertinet, sed quatenus instituto nostro inseruiūt.
Porro intellectus τὸ ὄν ἢ τὸ ἀληθές considerat:
Voluntas τὸ ἀγαθόν: Quod alias in scholis di-
cunt, Intellectus proprium officium esse, ueritas
tem abstrusam indagare: Voluntatis, boni maliq;
rationes in promptu habere. Est ergo ueritas
proprium intellectus obiectum, & opus eius
proprium, contemplatio rerum abditarum &
altissimarum, diuinarum & humanarum: Vol-
untatis autem obiectum est, boni malique electio,
quam usitatè in scholis προαίρεσις nuncupant.
Inde nata est usitata distinguendi ratio, qua do-
cendi causa contemplationem ab actione sepa-
rant, hanc uoluntati, alteram intellectui ueluti
propriam tribuentes. Quanquam præter hæc,
ipse

ipse Aristoteles inter ipsum agere & facere,
acutè distinguit. Quamuis autem si uerè iudica-
re uolumus, nec contemplationis ullus usus sine
actione, nec actio ulla sine contemplatione esse
possit, & utra alteram excellat, alibi differen-
dum est, nec inter se autores consentiunt: Ta-
men nunc populari hac, & captui discentium
accommodata distinctione contenti simus, quam
& à ueteribus accepimus. Eam ergo philoso-
phie partem, quæ magis in contemplatione &
rerum indagacione, & causarum inuestigatione
uersatur, quam uel in actione manuali, uel uirtu-
tum considerationibus & operationibus, uete-
res physicen dixere. Alteram uero partem,
quæ rerum agendarum uias quærit, boni maliq;
rationes scrutatur, & turpis & honesti discrimi-
na monstrat, Ethicen nominauerunt. In harum
utraq; probè exercitatum uoluerunt eum, qui
ad altiores disciplinas aspirare uelit, quales
sunt: Veneranda scientia legum, & amplissima
Medicorum doctrina. Sunt enim hæ duæ artes
non principia modo facultatum superiorum,
sed & quasi parentes earundem & progenito-
res. Tritum enim hoc Aristotelis est: Vbi des-
sinit physicus, ibi Medicus incipit, quod æquè
uerè de Ethico dici potest: Vbi Ethicus desinit,
incipit Iureconsultus, Philosophus enim ἐν τοῖς
καθόλοις uersatur, Medicus uero & Iurecon-
sultus ad speciem & circumstantias descendit.

Cum

Cum ergo studiosi nomen nullo iure teneat, qui non in utraq; probè uersatus est, nec hominis etiam nomen tueri possit is, qui non alterum ritè didicerit, & ad usum in uita transtulerit, nec una sine altera rectè ac commodè percipi possit, uos, ut & nos, & alios nobiscum exerceamus, in utraq; repetenda simul operam priuatam in posterum collocabimus. Et quia primum physices librum D. Philippi Dei beneficco absoluisimus, in quo autor Platonis magis Methodum sequitur, ad secundum cras enarrandum, pro nostra tenuitate accedemus, in quo breui compendio omnes materias tractat Aristoteles Methodo, quas ipse Aristoteles in 8. libris auscultationis Physicæ tradit. Hanc autem materiam cras auspiciabor, Deo uolente, hora Secunda post meridiana. Liceat in hoc me puluere uersari, dum aut prodesse conor aliquibus aut certè nocere nemini. Quod si ad has priuatas repetitiones, auditores nostri candorem attulerint uiris bonis dignum, speramus nos, fauente Deo, utilia studijs illorum allaturos esse. Hoc certis de causis monendum duximus. Cras ergo hora 2. præfatione quadam, ut fieri solet, uiam nobis & aditum ad sequentes repetitiones nostras patefaciemus, in Museo nostro, Bene Valetè.

Symbos

SYMBOLVM LE
ONHARDI WOLFII,

Spes non confundit.

S. P. F.

Spes, quæ cum fugerent sceleratas numina terras,
In malè pacata sola remansit humo.
Fida locum stabilem si nostro in pectore condit,
In maris hoc tumidi portus & aura salo est.
Hæc miseris pressum uitæq; neq; periclis
Solatur, quamuis compede uinctus agat.
Hæc aciem Equæ, quamuis ceruicibus instet
Mollit, & omne graui sub cruce lenit onus.
O spes humanas fragiles, ô pectora cæca,
Dispereat, carnis qui modò fidit ope.
Qui uel mille uiris, uel principis ubere dextra
Fidit, & humana uincere posse manu.
Nil manus est hominum, nisi puluis & umbra uaporq;
Nec secus his fidens, ut leuis umbra, perit
Sola Deo spes nixa ualet, sunt cætera fumi.
Spes non confundit, si modo nixa Deo est.

C

Symbolum



**SYMBOLVM SE
BASTIANI WOLFII**

πρόνοια καὶ τύχη.

S. P. F.

Namq; regit uitam fortuna uolubilis, at non
Cæca regit, mens est quæ moderatur eam.
Sola nihil fors cæca ualet, Mens prouida rerum
Cuncta potest, sortem cœlica cura regit.
Iunge Deum forti, fortunæ iungito mentem,
Et poteris summo neclere fata polo.

**DISTICHON CON
TINENS SYMBOLVM
& annum natiuitatis STE
PHANI WOLFII.**

Conspicuo virtus Merito virtutis honore
Cingitur, & illi hinc nobilitate viget.

Corona virtutem decet.

**Der Tugend schon/
Gebürt die Kron.**

M. L. G.

Sym

**SYMBOLVM PHILIPPI
LIPPISENBERGII
Ortenbergensis.**

Pietas utilis est ad omnia.

Fulta fide pietas quid non supereminet ardens:
Ante solet pietas omnibus ire bonis.
Sive Deum, seu respiciat sincera parentes
Seu patriam, natos deniq; siue alios.
Omnis habet pietas presentis commoda uitae
Solaq; perpetuae praemia lucis habet.

**AD VENERABILIS-
SEM VIRVM, MASTI-
GEM ET AMICVM SVVM.**

*Epilogi loco additum ne pagel-
lae uacarent.*

Scilicet **EXPLICVIT** dicebam nuper in hora
Cum loquerer Musis paucula uerba meis.
Et tu stultus eras: nec enim bene nosse ualebas
Grammata, me sannis qui sequereris, eras.
Aude aliquid, stolidus ne non habearis asellus.
Carpe alios, & que sunt bene dicta nega.

Sic crescet tua fama, tibi ste nomina crescent.

Quare, te carmen, quod celebrabit, habe.

EXPLICVIT nō uis: dicā EX tibi terga PLICAVIT

Tortor, & hoc forsā congruus ore loquor.

EX, tibi & extendens cruce brachia dura PLICAVIT

In cruce, qui similes arte PLICARE potest.

EXPLICET hic uestes tibi, & hic tibi debile tergum.

EXPLICET, ut uirgis excoriare queat,

Nodosq; latus tibi robore debile si quis

EXPLICET, ut possis grammata scire magis.

Aut tibi fune manus lictor bene complicet udas

IMPLICET aut laqueo colla proterua rudi.

Aut cruce in patulo tendens latera inuida ligno

EXPLICET, & misero pallida membra modo.

Aut aliquis, medica si sis reparabilis arte

EXPLICET humores, quos geris utre tuo,

Vt tibi se cerebrū magis EXPLICET usq; necesse est

Hellebori magnum pondus ut accipias

Et satis EXPLICVI uerbum hoc tibi: scilicet isto

Vt dicam, EXPLICVIT, ferre tenore potes.

Et simul EXPLICVIT dicam: ringaris aselle

Ni credis, triuium quære & asellus eris.

Ergo sat EXPLICITum mihi sit, tibi plura dabuntur

Ni monitis nostris moriger esse uelis.

Exemploq; tuo posthac tractabitur alter

Qui simili iaciet scommata cassa sale.

Vtq; scias, quid te miserum moneamus asellum.

Cautior ut posthac sis breue carmen habe.

AUC

Aut tu disce loqui quod consuetudo latina
Proferet, aut ni uis discito more tuo.

EPIGRAMMA.

Q Vos doctrina iuuat, non sunt sibi semper honori
Sic uos non uobis, Regibus estis honos
Quos iuuat hæc eadē non semper acerba premit fors
Sic uos, & uobis sepe fauetis apes.
Quos notat impietas, non semper pœna coerces
Sic uos non uobis, Regibus estis onus.
Quos scelus urit atrox, pœnæ quandoq; sequuntur
Sic uos, & uobis namq; nocete lupi.

FINIS.




Ante hunc signum quod est scriptura latina
Finitur. In nomine domini Amen.


EPITAPHIA


Quod est scriptura latina
In nomine domini Amen
Epitaphia sunt scripturae
quae in sepulchris ponuntur
ut memoriae sitis
et honoris. In nomine
domini Amen.

FINIS









Col 487

ULB Halle 3
003 356 124




f

sb.

front

m.c.







7



ORATIO

DE AMICITIA
DAVIDIS ET IONATHAE,
EXERCITII GRATIA COMPOSITA

à

M. SEBASTIANO
PICHSELIO. R.



VVITEBERGAE
Excudebat Laurentius Schuuenck.
Anno 1569.